


## EMBLEMA XV.

MUNUS INVERSA DOCEBIT.



*Regnum custos, Regumque insigne triumphis  
Æthra repercuoso durum mucrone fatigat,  
Spicula summa situm renovent, Diademata acuto.  
Cuspide truncari cernes, capitisque cruento  
Membra infecta, suis telis stimulante Corona,  
Solicitare Animos, curaque animare prementi.  
Tantæ molis inest Regi Diadema coruscum.*

## COMMENTARIUS.

**P**riscis seculis observarunt Gentiles, Deorum suorum imaginibus Diademata, & Coronas imponere, ut Tertullianus (a) refert, Pherecidis Poëta Tragici, & Diodori Siculi auctoritate suffultus, qui tradunt, Saturnum omnium primum, deinde vero Jovem post devictos Titanas, Corona redimitum fuisse. At postquam elata, ac superbae hominum mentes majora de se ipsis animo concipere coepunt, Reges ipsi, ac Supremi Principes primi exitere, qui honorem hunc, ante Diis solis dari ab hominibus solitum, sibi adrogantes, aureas Coronas ipsi quoque, in amplitudinem Majestatis, & gloriae sua argumentum gestare coepunt; easdem prius in fasciæ modum temporibus alligantes, quæ propriè Diademata dicebatur, posteaque eisdem fasciis variæ generis seu formæ Coronas prætexentes; sed frequentius radiatas desuper ac spiculatas, ut ostenderent, Principes radiatum Solem representare, sive ex ipsis fulgenti Majestate radios tamquam ex Sole procedere, ut latius ex scrinis Alexandri Neapolitanæ, & aliorum (b) libris colligere licet, & præcipue ex Carolo Paschalio (c), qui doctum librum de Coronis scripsit, & Jacobo Bossio (d), qui memorat, Davidem fuisse primum apud Hebraeos, qui Coronam ex capite Melchom Amonitarum Idoli abstrahens, qua aurei talenti pondo erat, ac gemmis pretiosissimis exulta, sumptuosissimam, ac splendidissimam ex ea sibi Coronam construi curavit, subdens, an ob hoc facinus, aliquod peccatum incurrit?

3 Nos, nostro hoc, ut vides, Emblemate, aculeatam cuditimus, quod licet jam præoccupatum à Joanne Horoscio (e) Covarruvia, & novissimo, nuperque nobis (Heu) desiderantissimo D. Didaco Saavedra (f) Fajardo videri possit, dum sub ejusdem Coronæ pictura, pariter

(a) Tertul. in lib. de Corona militis.  
(b) Alex. & Tiraq. Gehial. cap. 19.  
(c) Carol. Paschal. de Coronis.  
(d) Bosius de Cruce lib. 6. cap. 19.  
(e) Horozc. Emblem. lib. 1. ex pag. 95.

(e) Beyerl. verb. Corona, & de radiis agens Caram. de insign. Hispania, ex pag. 224. Horozc. lib. 2. Embl. 23. pag. 65.  
(f) Saavedra in Ideis Politicis Empress. 20. pagin. 227.

Regia Corona, anxias Regum curas ostendi.

81

illius onera commentantur, in eo tamen differimus, quod illi Corona utcumque depicta, illam fugiendam esse docere intendunt, ad vulgatum illud Anonymi apud Valerium Maximum (g) rescientes, qui ea considerans, Coronam humi fortè jacentem, vel sibi oblatam, tollere noluit, inquiens: *Tollat te, qui te non novit*; qui sanè (ut bene quidam Modernus (h) observat) vel ob hoc tale dictum, praclaro nomine dignus erat.

4 Quo etiam usus videtur Antigonus, apud cumdem Valerium, & Stobæum (i): qui cum Diadema Regium sibi traditum accepisset, prius quam capiti imponeret, dixisse fertur: *O nobilis magis quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis, & miseriis sit refertus, ne buni quidem jacentem tollere vellet.* Quod fortè occasionem fecit Adagio *Tollat te, qui te non novit*; cuius, ex Quintiliano (k), & aliis mentionem facit Erasmus (l), inquiens, concinnè usurpari solere, si eum, cuius dolos jam nobis notos significamus, etiam cadentem, & in periculis positum, erigere, vel juvare nolimus, ne ab eodem iterum decipiamur. Horoscii autem Carmen ex quo hoc magis constat, sic habet:

*En el suelo tendida la Diadema,  
Con un sentido mote, i elegante,  
El que no te conoce te levante,  
Vistosa, i de provecho hará una Emblema:  
La qual salió de la bondad estrema  
De un Varon tan entero, i tan Constante,  
Que dixo, quando yá tenia delante,  
I en sus manos la Insignia mas suprema:  
O Venda muy mas noble que dichosa,  
Si alguno por ventura conociese,  
Quan llena estas de afan, i desconsuelo,  
Viendote tan pesada, i trabajosa,  
Aunque tendida, i á sus pies te viese,  
No te osaria levantar del suelo.*

5 Saavedra quoque Symbolum in idem recedit, ut ex ejus Commentatione apparet, & ex prefatio lemmitate, *Fallax bonum*, quod ut apparet, ad dictum Antigoni respicit, & simul ad illud Senecæ Tragici (m).

*O fallax bonum,  
Quantum malum fronde quam blanda tegis,  
Ut alta ventos semper excipiunt juga:  
Imperia sic excelsa fortuna subjacent.*

Neque abest illud aliud Elisabethæ, Angliae Reginæ, apud Octavium Stradam (n) quæ se ipsum stantem, Sceptro, & Diademate ornatum, & columnæ hærentem, pingi fecit, cum hac inscriptione: *Stanco Riposo, & Riposo affanno.* At verò Nos, licet ipsum idem argumentum premere destinemus, nullo alio ex dicto vel facto melius, ac verius anxias. & pungentes Regnatum curas colligi vel detegi posse, insinuare intendimus, quam vel ex ipsis radiis, sive spiculis, quibus suas Coronas ornare, ac circumdare solent, quæ sanè, si inverterentur, eosdem magis pungent, & vexarent, vel calcarium instar, ad suspectum munus. I tuis obeundum, animos adderent, atque hoc nimis est, quod adjecto lemmitate significamus, *Munus inversa docebit*, Albani Spinasi (o) vestigiis hærentes, qui in suo Politismo, sic habet: *Nec immerit Regum Coronas aculeatas, & spinosas effingunt, seu tristificas, & anxiferas.* Est enim Principatus cum summi laboris, & periculi, tum magna cautionis, & servitutis, &c.

7 Et ob hanc causam, non sine causa, Saavedra (p) noster dicere potuit, Diademata illa, sive fascias, de quibus diximus, Coronis subpositas fuisse, non tam ad Majestatem denotandam, quam ad tempora confortanda, & veluti ab aculeis superminentibus, aut verius superminantibus, defendenda, & in hunc sensum illud Zacharia (q) explicat: *Ponite Cidarim muniam super Caput ejus.*

## L

Quod

(g) Valer. Max. lib. 7. cap. 2. Erasm. in Apoph. lib. 6.

(m) Sene. in Oedipo.

(n) Strada in Symb. Reg.

(o) Spinas. in Polit. lib. 1. cap. fin. fol. 36.

(i) Valer. sup. Stobæum serm. 47.

(p) Saavedr. super pag. 121.

(k) Quintil. lib. 6.

(q) Zachar. 3. 5.

(l) Erasm. in Adagiis pag. mihi 618.

8 Quod æquè aliis Coronis aptari poterit, quæ non radiatae, vel aculeatae, sed veluti turritæ, seu turribus circumdatae, olim à Regibus portari etiam solebant, in modum urbis moenibus cinctæ, ut *Frat. Joannes à Sancta Maria (r), & alii (s) recensent*. Nam & his, ut ipsi quoque tradunt, nihil aliud designabatur, quam Reges, totis humeris, toto vertice, Regni sui urbes, ac molem sustinere debere, unde in libro Sapientia (t) dicitur: *In ueste Poderis, quam habebat summus Sacerdos, totus erat orbis terrarum; & Portatores orbis à Jobo (u) appellantur, dum inquit: Deus cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur, qui portant orbem, & à Græcis Basilei, quasi bases, ac fundamentum sint, quibus sua Regna nitantur, ac sustineantur.*

9 Quæ omnia, quam validum, ac confortatum caput requirant, quamque anxiæ, & oneratos Reges efficiant, qui sub tanto pondere gemunt, nemo non videt. Et vel Moyses (x) satis expressit, cum ad Deum à quo in Duce ac Gubernatorem populi sui electus fuerat, dixit: *Cur affixisti servum tuum? Car imposuisti pondus universi populi bujus super me. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, aut genui eam, ut dicas mibi, Porta eos.*

10 Ceterum, ut ex multis variorum Auctorum sententiis, & exemplis, qui miseram hanc, duram, & laboriosam dominandi sortem ostendunt, selectiora subiectam, à Seneca (y) Tragico ordinar, qui non contentus, hoc bonum fallax, & subdolum appellasse in loco supra relato, in alio, nullam graviorem pœnam. In graviorum scelerum punitionem à Diis dare posse, scriptum reliquit, sic Pollynicen, & Jocastam loquentes inducens:

Pollynic.

Sceleris, & fraudis suæ  
Pœnas nefandas frater, & nullas ferat?

Jocast.

Ne timeas, pœnas solvet, & quidem graves,  
Regnavit, hec est pana.

11 Rursus idem (z) alibi, & veluti de his spinis, Capita Regum pungentibus loquens, sic inquit:

O Regnum magis fallax  
Fortuna bonis, in præcipiti  
Dubioque nimis excelsa loco  
Numquam placida Sceptra quietem  
Certanè sui tenuere diem.  
Alia ex aliis dura fatigat,  
Vexatque animos nova tempestas,  
Non sic Lybicus syrtibus æquor  
Furit, alternos volvere fluctus

12 Tiberius etiam Imperator, ut Tacitus (a) refert, cum ab amicis rogaretur, ut Imperium susciperet, is illos increpitabat, ut ignaros, quanta bellua esset Imperium. Coactus tandem conquerebatur, sibi miseram, & onerosam imponi servitutem. Quo etiam nomine Regnum donavit Seneca (b) inquiens: *Magnam servitutem esse magnam fortunam. Et Seleucus, sive ut alii tradunt, Antiochus, qui ut post Stobæum (c), tradit: Erasmus (d) pariter ac Antigonus, de quo supra, frequenter dicere solitus erat, paucis notum esse, Regum, aut Magistratum quanta sint curæ, alioqui nullum inventum iri, qui Regum Diadema humili projectum tolleret.*

13 Quinimò ipse idem Antigonus, Macedonum Rex, ut apud Plutarcum (e), & Ælianum (f) comperimus, cum cerneret filium suum, se violentiorem, & immodestiorum erga subditos generare: *An non (inquit) novisti Fili, nostrum Regnum nobilem sive splendidam esse servitutem. Quo ut Plutarchus subdit: Nihil dici potius cordatus. Nam Princeps non minus deseruire cogitur Populo, quam populus Principi; nisi quod Princeps id facit cum dignitate, alioqui revera mutua servitus est. Et qui id non approbat, is verè mibi videtur, neque Regem, neque civem nosse, sed tyrannicam vitam potius agere.*

Sa-

(r) Sancta Maria in Polit. Christ. pag. 19.

(s) Pined. & alii statim citandi.

(t) Sapient. 18. 24.

(u) Job. 9. 13, ubi latè Pineda de hoc homine, & nomine, Basileus, idem de Reb. Salom. pag. 112.

(x) Moyses Num. 11. 1.

(y) Senec. in Thebaïd.

(z) Idem Trag. 8. Agam.

(a) Tacit. 1. Annal.

(b) Senec. de Const. ad Polyb. cap. 26.

(c) Stob. serm. 46.

(d) Erasm. lib. 6. Apop.

(e) Plut. in Apop.

(f) Ælian. lib. 2. de var. hist. Sancta Maria ubi sup.

pag. 41.

14 Saturninus (g) etiam Imperator, easdem Imperii curas, & onerosam laboriosamque servitatem agnoscens, cum à suis purpuram Imperatoriam indueret: *Nescitis amici, nescitis (inquit) quid mali sit imperare. Gladii nostris impudent cervicibus, imminent bastæ, timentur hostes, comites formidantur, non ad voluntatem cibis, non iter ad auctoritatem, non ad studium armæ; de in omnibus placere adinator, id est, impossibile est. Senis bello inhabillis, Juvenis furiosus habetur. Nam quid Imperatorem me cupitis, in mortis necessitatem me trahitis. Sed ba-beo solatium hoc mortis, solus perire non potero.*

15 Quibus in verbis ob oculos habuisse videtur, illa, quæ de Hierone Siciliæ Tyranno Xenophon (b) refert, in lato illo colloquio, quod cum Simonide habuit, de privata vita Regia in omnibus præferenda; vel potius Damocles historiam à Suida (i), & aliis relatam, qui cum à Dionysio Tyranno Siciliæ, cuius mensæ dapes, & lauitiem nimis invidebat, sub Solio, in Regia mensa sedere jussus, & opipare invitatus fuisse, ense tamen ex filo pendente, in ejus caput directo, tantum metum horroremque percipit, ut ex Solio effugere, & nihil de prandio sumere voluerit, sic à Dionysio eductus, qualis esset Regum lautes.

16 Quo respiciit illud Horatii (k):

Districtus ensis cui super impia  
Cervice pendet, non Sicula Dapes  
Dulcem elaborant saporem.  
Non avium, citharaque cantus  
Somnium deducunt; somnus agrestium  
Lenis virorum, &c.

Et Persii (l):

Et magis auratis pendens laquearibus ensis,  
Purpureas subter cervices terruit.

Et nostri Horoscii (m) Emblema ex eadem historia desumptum, quod etiam inter sua collocavit Florentius Sconovius (n), cum lemmate, *In miseram Tyrannorum vitam*, sic inquietus:

Miser Tyrannus, cuius ensis imminet  
Dependulus cervicibus:  
Medius in undis aret, & plumæ leves  
Non elavorant somnum;  
Mentis tumultus submodere turbidos,  
Non gaza, nec lictor valer.

17 His concinit Maphæus Poëta, easdem curas, & erumnas, quæ Reges tangunt, & angunt, his describens carminibus, valde nostro Emblemati cohaerentibus:

Heu tristia Regni  
Munera, que haud parvo constat, heu grandia rerum  
Pondera, que numquam placidam permittere quietem,  
Nec requiem conferre queunt, Heu sortis acerbæ,  
Et misere Regale decus, Magnoque timori  
Suppositos Regum casus, pacique negatos.

18 Et adhuc magis ad rem, & de Diadema, & Corona nostri Emblemati agens, Divus Chrysostomus (o), sic non minus verè, quam eleganter scribens: *At nec Rex vitam curis solutam vivit: sed multis molestiis, atque angoribus refertam. Non enim ad Diadema spætes, sed ad sollicitudinum procellam, unde illi tumultus maximus exoritur. Non ad purpuram, sed ad animam ipsa purpura nigriorem. Non æquè Corona ligat Caput, atque animum solicitude. Non ad satellitum numerum spæta, sed ad ægritudinum multitudinem: nullam enim privatam domum, tot curis abundantem reperias, quam Regiam.*

L 2

Quod

(g) Vopiscus in Saturnino.

(h) Xenophon. in vita Hieronis, sive de Regno.

(i) Suid. in dictio. verb. Damocles. Vide Silonium Apo-

linare, lib. 2. Epist. 13. eamdem historiam referentem, &

(n) Sconov. Emblem. 26.

(o) D. Chrysost. ad Philip. 5. homil. 66.

(p) Erasm. lib. 5. Apophleg.

19 Qod benè sentiens, & in se ipso expertus Antiochus, ut Erasmus (p) enarrat, cum L. Scipione, ultra Taurum montem, submotis Imperii finibus, Asiam provinciam, vicinasque ei gentes amisisset, gratias egit Populo Romano, quòd magna parte curarum per eos liberatus esset. Intellexit quippe vir prudens, unius hominis animum, quamvis in vigilantem, non posse tot negotiis parem esse, quot Regnum, præcipue magnum, in se habet.

Et est etiam memoria dignum, ad easdem curas cognoscendas, & exagerandas, id quod Plutarchus (q) de Philippo Macedonum Rege commenmorat, qui cum in Regione amoena admodum, castra ponere parasset, nuntiaeturque, illuc scenum jumentis decesset: O Dii (exclamavit) qualis est bæc vita nostra, quam etiam ad asinorum commoditatem instituere cogimur. Quinimò ex sententia Alfonsi Regis Aragonum I. apud Antonium Panormitanum (r), pejor Regum, quam asinorum vita judicata fuit. Ei namque cœnanti, cum senex quidam importunus, & garrulus suis petitionibus obstreperet, hæc gravis querela excidit: Melioris esse conditionis asinos, quam Reges. Illis enim parcunt domini, cum pascuntur, bis nemo.

20 Sed adhuc magis gravis fuit altera alterius ejusdem Regni Piissimi Joannis I. qui, ut ex Lucio Mariano (s) Siculo refert Majolus (t), in mortis articulo, hanc Imperiorum, & Principatum vanitatem, & insitas ei curas, & solicitudines fassus, quas passus miseris esse exclamavit, qui ad Principatum aspirant, qui divitias opes, & nimios honores affectant, & post alia sic addidit: Nam mibi misero, quid Regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? Labores scilicet magnos, & multa corporis, & animi pericula subivi, nec unquam ætate longa potui mibi dies aliquot videre bonos. O me miserum, & infelix, qui tam serd fillacem mundum cognosco. Qui vitam certè vixisse multò meliorem, si non Rex, sed agricultor fuisset.

21 Unde jam satis patet, ni fallor, quam sit certum, & memoria dignum illud Seneca (u) verbum: Speciosa, & magna contrà wisentibus, cum ad pondus revocata sunt, fallunt. Cum tot aculeis & spinis scateat Corona, quæ primo adspectu florida esse videtur, & anxiū adē, atque angustum sit Regale quodlibet Imperiale Diadema, quòd vulgo sub Augusto nomine commendatur. Quapropter benè Incertus (x) ille dixit, qui dixit:

Nolo caput cingat gemmanti fascia vitta,  
Aut oculo signet divite gemma manum.  
Gemma gelu, Diadema cinis, flos perfidus ostrum,  
Qui negat ornari, pulchrius ornat bonos.

22 Et melius Divus Augustinus (y), vel à Christo Domino ac Salvatore Salvatoreque nostro, ob hoc ipsum, quod in mundi Regem eligebatur, Crucem pro Sceptro, & Spinas pro Diademe necessari portari debuisse, his elegantissimis verbis agnoscit: Quid verò Isaac ipse sibi ad immolandum ligna detulit; & in hoc Christum Dominum figuravit, qui ad locum passionis Crucem suam portavit. De quo Mysterio mulù ante dictum fuerat per Prophetam, & erit inquit Principatus ejus super bumerum ejus. Tunc enim Christus Principatum super ejus bumerum habuit, quando Crucem suam admirabiliter humilitate portavit. Non incongruè Crux Christi significat Principatum; nam per ipsam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Christi notitiam, vel gratiam revocatur.

23 Ergo, ut tandem finiam, & hanc de Coronis commentationem, coronidis loco aureis Nazianzeni (z) verbis exornem, & claudam: Reges & Imperatores Purpuram vereamini. Cognoscite quantum id sit, quod vestra Fidei commissum est. Quantum circa vos Mysterium. Orbis universus manu vestrae subiectus est, Diadema parvo, atque exiguo panno retentus. Supera solius Dei sunt; infera autem vestra etiam sunt. Subditis vestris Deos vos præbete: liceat enim audacius aliquid dicere: cor Regis in manu Dei est. Hic Imperium vestrum sit, non autem in auro, & in exercitibus, &c.

## EM-

(q) Plut. in lib. numenii sit. Ger. Respi  
(r) Panormit. de dict. & fact. Alfons.  
(s) Martin. lib. 8. rer. hist.  
(t) Majol. tom. 2. Canicul. colloq. 7.

(u) Senec. epist. 66.  
(x) Incert. ap. Caram. de insign. Hisp. pag. 250.  
(y) D. Aug. serm. 71. de temp. tom. 20.  
(z) D. Nazianz. orat. 27.

## SPLENDOR MENDAX.



Exterior nivea satiatur calce Colossus,  
Et læve aurata fronte superbit opus;  
Cratitiæ sed enim circumstans pectora costæ,  
Clavorumque intus spicula sæva rigent.  
Heu mendax Regum splendor, qui mille dolores,  
Mille sub aurato murice damna tegis.

## COMMENTARIUS.

**N**ON solum Regia Capita Corona, ut vidimus, angit, & quos fastigat, fatigat; sed idem etiam angor, & labor, totus, in toto Principium corpore residet, si ipsi, ut debent, toti, suo muneri intendant, & totius Regni lætitiam, pacem, opulentiam, securitatem, & ut verbo dicam, vitam, mortemvè, ex sua cura pendere cognoscant. Hæc enim (Auctore Festo (a) inde nomen sumpsit, quòd cor exedat, aut urat, & ita in præcordia intima penetrat, & interanca occupat, ut bonos, in his quæ benè agere debent, malos, propter ea quæ male gesserunt, & bona quæ facere omiserunt, semper anxios, & sollicitos habeat.

2 Quod, ut ipsis magis magisque innotescat, superiori Emblemati, hoc ex Colossi Forma, Figuravè deducto, addere volui. Omisssione multis, quæ harum Statuarum nomine, origine, mole, & ingenti magnitudine dicere possem, & apud Plinium (b), Vitruvium (c), & alios (d), qui latè de eis agunt, videre licebit, Lucianum (e) referre contentus ero, qui mihi præcipue ad illud configendum ansam præbuit, aptissimè, in uno ex suis Dialogis, Reges eidem Colossis æquiperans, quos quidem exterior magnitudo, splendor, & nitor, visendos, admirandos, & suspiciendos hominibus facit, cum tamen interior exorbitibus, clavis, sudibus, spartis, spinosisque aliis, & pungentibus fragmentis, ac ramentis compacti sint. Ejus verba sic habent: At mei ipsius miserescet, qui prægrandibus illis Colossis viderer persimilis, quales vel Pbi-dias, vel Miron, vel Praxiteles fabricatus est. Etenim illorum quisque, quo ad ea, quæ foris apparent, Neptunus ipse est, aut Jupiter mirificè decorus, auro, eboreque compactus; & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuscinam dextra sustinent. Ceterum si immisso capite, quæ sunt intus inspicias; videbis veiles quosdam, passillos, & clavos introrsus prominentes, neque non

vi-

(a) Festus verbor. sign. verb. Cura.

(b) Plin. lib. 34. cap. 7.

tes ex monte Atbo facere voluit. Guillel. de Choul de Diis Gent. pag. 214.

(c) Vitruvius lib. 2.

(d) Lucian. in Dialog. de sonno, vel gallo.

(e) Plut. in vita Alex. ubi de Colosio, quem Dinocra-

vimina, cuneosque, & picem sublitam, & aliam id genus deformitatem intrinsecus inhabitantem. Omittio recensere fornacarum, mustelarumque vim, quæ nonnumquam in eis mansitant. Hujusmodi quedam res nimirum Regnum quoque videtur. Quid primo loco tibi referam Mycile? Utrum metus, curas mordaces, suspicione, odium, quo Regem prosequuntur it, qui cum illo vivunt, insidias, atque ob eam rem somnum rarum, & hunc quidem pertenuem, ac plena tumultus insomnia, cogitationes perplexas, spes semper improbas? An otii penuriam, & occupationes, judicia, expeditiones, edita, fædera, consultationes? Quibus rebus sit, ut ne per somnum quidem aliqua re suavi frui licet. Verum ut omnibus de rebus, solus dispiciat necesse est, milleque negotia sustineat, &c. Vide etiam Dion Cassium (f), Stobæum (g), & Plutarchum (h) sic inquietum: Atque hic est Principis metus, & humanus, nec ingeneratus, ut his quibus imperat, metuat, nequid se incio lèdantur, non aliter atque canes nocturni, ac laboriosam agentes in septis ovium custodiam: simul atque trucem audiunt feram, timent, non sibi, sed his, quæ custodiunt.

3 Haec tenus Lucianus, qui eamdem similitudinem, ejusque applicationem, vel mutuavit, vel certè mutuari potuit à Plutarcho (i), qui in libello, quem contra in eruditum Principem edidit, exteriore Colosso splendorem, & interiorem inanitatem, vacillantemque stabilitatem, elegansissimis verbis ostendit, quorum alio loco mentionem faciemus.

4 Erasmus (k) etiam in suis similibus, licet nec Lucianum, nec Plutarchum citet, utrumque tamen sequens, & veluti ad nostrum Emblema respiciens, ita in eodem argumento versatur: Ut Colossi foris insignes, Deum aliquem representant, intus pleni tuto, clavis, sordibus; ita Rex purpura, equis, auro, satellitio magnificus, in animo nibil habet præter sordidos affectus, & inscitiam. Statue magnitudine, moleque sua librantur, & consistunt: at Reges stulti, subvertuntur.

5 Idemque in Idolis contingere, rectè Daniel (l) Propheta Regem Nabuchodonosorum admonuit, sic inquiens de Idolo Bel, quod adorare præceperat: Ne erres, ð Rex, iste est enim intrinsecus luteus, forinsecus æreus. Ubi benè Noster Gaspar Sanctius, stultos homines vanasæpè specie decipi inquit, & fucato splendore, qui alienus est, & artis lenocinio rebus interdum vilissimis induxit. Splendebant Idola ab externo cultu, quia inaurata, aut pretiosis ictigumentis inducta; cum tamen interius marmor esset, aut lignum, aut etiam lutum, & argilla vilis, ex qua Idolum conflabatur. Sic Reges, quos Purpura, quos Diadema, quos Majestas, & exterior nitor verendos facit, luce planè erunt, si luteum spiritum habeant, & minus fœlices, & invidendi censendi erunt, si spinas, clavosque, & assiduas curas, quibus interius constant, & assidue premuntur, introspiciamus.

6 Unde Tragicus (m) valde in nostris terminis inquit:

Cespes, Tyrio mollior ostro  
Solet impacidos ducere somnos:  
Aurea rumpunt tecta quietem,  
Vigilesque trahit Purpura noctes.  
O, si pateant pectora Ditem,  
Quantis intus sublimis agit  
Fortuna metus, Brutia Coro  
Pulsans fretum mitior unda est.  
Aurea miscet pocula sanguis.

Quem sequutus Boëtius (n), ita inquit:

Quos vides sedere celso  
Soli culmine Reges,  
Purpura claros nitente,  
Septos tristibus armis:  
Detrahat si quis superbi  
Vani tegmina cultus,  
Jam videbis intus arctas  
Dominos ferre catenas.

Quod

(f) Dion. lib. 55.

(g) Stob. serm. 44. & 52.

(h) Pintar. in lib. de doct. Princ.

(i) Plut. de Princ. in erud. Nos infra Emblem. 26.

(k) Erasm. in similib. fol. mihi 8.

(l) Daniel. 14. 6.

(m) Senec. in Hercul. Oeth.

(n) Boet. lib. 4. Met. 2.

Quod sumere potuit ex illo Euripidis:

Vultu Tyrannis est quidem letissimo,  
Intus dolores sed fôvet gracissimos.

Et Socrates (o) interrogatus, An Rex Persarum felix esset, se id nescire respondit, quia numquam cum eo congressus erat, neque cognoscebat quali esset animo prædictus. Quasi diceret, non à Diademate, non à vasis aureis, aut civitatis, aut à terris, aut ab aliis hominibus, vel nominibus, felicitatem obvenire, metiri debere, verum unicuique à se ipso, & sub ipsius interno animo.

7 Et de Adriano IV. Romano Pontifice Onophrius Panvinus (p), & Lycosthenes (q) memoran, quod adjebat: Nemini esse miserabiliorum Romano Pontifice, conditione ejus nullam miseriorem, totius ejus vite letitiam, amaritudinem esse. Cathedram Romani Pontificis esse spinosam, iter unde confertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robustissimos premat, & confringat bumeros. Et quòd borum verborum, post longum in prandio silentium, recordatus aliquando Marcellus II. Papa, manu mensam percutiens, dixit: Non video, quomodo qui locum hunc altissimum tenent, salvare possint.

8 Quam etiam pungentem, & urgenter in Romanis Pontificibus curam, non minus graviter expressit Innocentius VIII. (r) inquiens: Officii Nostri debitum, remedii invigilat subditorum, quia dum eorum excutimus onera, dum scandala removemus ab ipsis, nos in eorum quiete quiescimus, & foveamur in pace. Et in reliquis Regibus, & Imperatoribus Seneca (s), in loco jam sæpè citato, ubi eos qui populis præsunt, non sibi, sed illis vivere ait, & pro cunctorum salute excubare debere.

9 Quod etiam adeò extulit Plinius Junior (t), ut post Commemoratas sui Trajani graves, & laboriosas curas, & solicitudines, eidem, vel flere posse, non licere, inquietabat, ut possit multos flentes audire, cum tamen lachrymæ soleant mæstis animis aliquod solamen concedere, juxta illud Ovidii (u):

Flesque meos casus, est quedam flere voluptas:  
Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

10 Eaque propter Sapientes, apud Ammianum Marcellinum (x), definiunt: Imperium nibil aliud esse, quam curam salutis alienæ. Eamque, veluti mutua lege, subditis à Principibus deberi, in compensationem honorum, & tributorum, qua ipsis præstant, benè & eleganter (post alios plures, qui de eodem argumento egerunt) Doctus pariter ac Religiosus Pater Eusebius (y) Noriemburgiæ novissimè his verbis observat: Quid est, cur post tantam reverentiam, fidem, amorem, gratiam, onerosa sit Majestas, & fortuna gravis? Magnum quid petitur, & grandius Regia magnitudine, cura salutis publicæ, commune bonum, felicitas hominum, servitium Republicæ. Ad hoc tot honores, ad hoc tanta reverentia, ad hoc fides, ad hoc amor omnium, ad hoc Majestas Regia; quod serviat Regno. Grandior, & honorificentior titulus Principis est, servum esse publicum, famulum omnium, mancipium Reipublicæ, satellitem singulorum. Ad hoc supra omnes elevatus, ut pro omnibus sit. Cum illo onere, quo datur, accipiat fortunam; namque & stipendia sui famulatus à Republica accepit. Tributa quid sunt, nisi salario Principum? Quibus, instar aliorum famulorum, remunerari labore Regum justus & fas est.

11 Et quoniam spinosa ejusmodi curæ, de quibus loquimus, sunt veluti propria & inseparabilis sarcina Principatus, non inepte Petilius (z) considerat, solam rhamnum, quæ tota spinosa est, inter arbores, Regnum illis oblatum, acceptasse. Et Christum Dominum, licet totus bonitas sit, ad sui tamen hue instructionem, spinea, quam aurea Corona uti maluisse, ut ex ipso insigni, Regium Regibus stylum agnoscendum proponeret. Cui considerationi valde consonant verba Divi Chrysostomi, Augustini, & aliorum, que in Commentario præcedenti recolui, & suboscura illa Divi Pauli (a), dum de eodem Christo, sic inquit: Et quidem cum es set Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, & consumatus factus est, omnibus obtemperans. Quibus, ut doctè Pater Joannes Velazquez (b) animadvertisit, vel ab ipso Dei Filio, qui omnia novit, eo ipso quo in Principem futuri seculi eligebaratur, hanc regulam, hanc regendi artem, veluti addiscendam insinuat Apostolus, sua non spectare commoda, nec sibi omnia velle, imò verò curis, laboribus, & doloribus premi, anxiari, consumari, & sese tam-

(o) Socrat. apud Stobeum Serm. 46.

(p) Panvin. in vita Adrian. IV. & Marcell. II.

(q) Lycos. in Apoph. pag. 694.

(r) Innoc. in cap. 1. de off. deleg. in 6.

(s) Senec. de Consol. ad Polyb. cap. 26.

(t) Plin. in Paneg. ad Trajan.

(u) Ovid. 4. de Tristib.

(x) Ammian. Marc. lib. 30.

(y) Euseb. in Terp. 2. p. lib. 1. c. 2. pag. 330. & 331.

(z) Petil. de mun. Princip. lib. 7. cap. 9. pag. 369.

(a) D. Paul. ad Hebr. 5. 8.

(b) Velazq. de Opt. Princip. pag. 366.

tamdem morti devovere , ut suis subditis esset causa salutis æternæ.

12 Atque hæc quidem de internis , & pungentibus curis eorum Regum , qui justè , & legitimè Regale Solium occupat , & occupatum pari Justitia , Pietateque sublimat , tetigisse sufficiat. Nam si de aliis sermonem instituere velim , qui per Tyrannidem ad tantam Celsitudinem ascenderunt , vel etiam legitimè partam , impie , injustè , & tyrannicè moderantur , vix poterit dici , quibus curis , quibus angoribus diu noctuè afficiantur , & affligantur , & quanto certius proprius in ipsis Luciani , & nostri Colossi Typus verificetur. Quod graviter ac pluribus docuit Platonem apud (c) Socrates , in suis de Republica libris , in hanc Gnomen tamdem omnia prius dicta reducens : *Est igitur , etsi alicui baud videatur , iis , qui verè Tyrannus est , verè servus , maximè adulatioñis , & servitutis , idemque adulator pessimorum : & re ipsa pauper apparet , si quis totam ejus mentem possit inspicere , denique metus in omni vita plenus , agitatio- numque & angorum.*

13 Ad quem locum , sive doctrinam , proculdubio respexit Cornelius Tacitus (d) , dum de Tiberii tyrannie loquens , & qualiter facinora , atque flagitia sua , ipse quoque in supplicium vèrterat; sic ad rem nostram appositissimè ait : *Neque frustra præstantissimus Sapientia (id est Socrates) firmare solitus est , si recludantur Tyrannorum mentes , posse aspici laniatus , & ictus ; quando ut corpora verberibus , ita sævitia , libidine , malis consultis , animus delaceretur. Quippe Tiberium non fortuna , non solicitudines protegebat , quin tormenta pectoris , suasque ipse pœnas fateretur.*

14 Idem latius in suo Hierone prosequitur Xenophon (e) , illum , qui fuit unum ex Triginta Sicilia Tyrannis , fatentem inducens , se vicitum , somnumque timere , quod in his aliorum insidias vereretur ; eademque ratione multorum satellitum , vel solum esse , reformatare. Pariterque spectacula , amores , & reliqua , quæ solent homines oblectare. Hinc tamdem inferes , ex iis omnibus rebus Reges multò minus delectationis capere , quam privatos homines , qui quidem vitam mediocrem agunt , ac multò plures , maioresque molestias sentire.

15 Quæ etiam , & majora alia in se expertus fuit Dionysius , alter ejusdem Siciliae Tyrannus , cuius quidem spinosum pectus , tot curis , tot livoribus ac vivicibus scatebat , ut eodem Xenophonte (f) , atque aliis narrantibus , vel de propria filia diffideret , & in conclavi , ut sibi insidiante , asservaret ; lectum , in quo dormiebat , lata fossa circumdaret , capillum , ac barbam carbonem adureret , de filiabus non fidens , quibus primùm hoc officium tradiderat.

16 Nota quoque est Mithridatis Ponti Regis historia (g) , quem ædem spinae , intimis præcordiis harentes , in parricidium conjugis , sororis , matris , fratrū , triumque filiorum , totidemque filiarum , adhuc impuberum , adegerunt , & venenum metuens , ne eo , ut meruerat , necaretur , se , eo assidue poto , præmunivit , & Martialis (b) Epigrammati locus fecit :

*Profecit Epoto Mithridates sæpe veneno ,  
Toxica ne possent sæva nocere sibi.*

17 Et ut plures alios omittam , Heliogabalum pro multis adduxisse sufficiet , qui , Lampridio (i) narrante , sue tyrannidis , ac scelerum conscius , & quia sibi à Syris Sacerdotibus prædictum erat Biothanatum futurum , hoc est , violenta morte interitum , ut etiam mors sua pretiosa esset , & ad speciem luxuria , ut diceretur nemo sic periisse , paraverat funes , blatta , & serico , & coco in toros , quibus si necesse esset , laqueo vitam finiret ; paraverat & gladios aureos , quibus se occideret , si aliqua vis urgeret : paraverat & in ceraunis , & hiacintis , & smaragdis venena , quibus se interimeret , si quid gravius immineret : fecerat & altissimam turrem , substractis aureis , gemmatisque anteà tabulis , ex qua se præcipitaret.

18 Ut vel ex his discas , quæ cæco verbere , ut Poeta ait , ejusmodi Tyranni feriantur , qui malum , quod subditis faciunt , semper expectant ; quæcumque certum illud , quod de eisdem tradit Euripides (k) :

*Tyrannidis verò perperam laudatæ ,  
Vultus quidem jucundus , interiora tristia sunt.*

Et Claudianus (l) :

*Qui terret , plus ipse timet , sors ista tyramis  
Convenit. Invideant claris , fortisque trucident.*

Mu-

(c) Plato lib. 9. de Repub.

(d) Tacit. lib. 6. Annal. paulò post princip.

(e) Xenoph. in vita Hieron.

(f) Idem Xenoph. in Dionys.

(g) Diction. Histor. verb. Mithridates.

(b) Martial. epigr. 118. lib. 5.

(i) Lamprid. in Heliogabal.

(k) Eurip. apud Camer. in subcess. lib. 3. cap. 25.

(l) Claud. in 4. Cons. Hon.

*Muniti gladiis vivant , septique venenis ,*

*Ancipites habeant arcis , trepidique minentur.*

19 Cum tamen longè iis melius honestiusque fuisset , hos metus , hasque spinas tot immimentum periculorum abhicere , Imperium sibi creditum benè & suaviter exercendo , & illud quod ipse idem Claudianus (m) monet , quodque dignos Reges decet , præoculis semper habendo :

*Sis pius in primis , nam cum vincamus in omni*

*Munere , sola Deos æquat clementia nobis.*

*Neu dubie suspectus agas : neu falsus amicis;*

*Rumorumè avidus : qui talia curat , inane*

*Horrebit strepitus , nulla non anxius hora.*

*Non sic excubiae , nec circumstantia pila ,*

*Quam tutatur amor. Non extorquebis amari ,*

*Hoc alterna fides , hoc simplex gratia donat.*

20 Etenim qui ita non novit , qui ita non regnat , non vitiis , non casibus , non morti ipsi subjectus , & denique omne gaudium ex sua bona mente promens , Regis nomine dignus esse non potest , si Seneca (n) Tragico credimus , ita hoc serio graviterque docenti :

*Regnum non faciunt opes ;*

*Non vestis Tyriæ color ,*

*Non frontis nota Regiæ ,*

*Non auro nitida trabes.*

*Rex est qui posuit metus ;*

*Et duri mala pectoris.*

*Quem non ambitio impotens ,*

*Et nunquam stabilis favor.*

*Vulgi præcipitis motet.*

*Quem non lancea militis ,*

*Non strictus domuit Chalybs.*

*Qui tuto positus loco*

*Infra se videt omnia.*

*Occurritque suo lubens*

*Fato , nec queritur mori :*

*Rex est ; qui metuit nibilo*

*Hoc Regnum sibi quisque dat ; &c.*

21 Quod perinde est ac si diceret , non posse liberis imperare , qui non potest suis cupiditatibus modum ponere , libidines prius refrrenare , voluptates spernere , iracundiam tenere , coercere avaritiam , ceteraque animi labes ; & ut brevius dicam , qui illud ejusdem Seneca (o) non observat : *Si vis exerceere tibi utile , nulli autem grave Imperium , submove vitia.*

22 Idemque ipsum Pentadius inter fragmenta Petronii , optimè quoque his verbis edocuit :

*Non est falleris , hæc beata , non est ,*

*Fulgentes manibus videre gemmas ;*

*Aut testudineo jacere lecto ,*

*Aut pluma latus abdidisse molli ,*

*Aut auro bibere , & cubare croco!*

*Regales dapibus gravare mensas.*

*Et quicquid Lybico secatur arvo*

*Non una positum tenere cella :*

*Sed nullos strepidum timere casus ,*

*Nec vano populi favore tangi ,*

*Et stræto nihil astuare ferro.*

*Hoc quisquis poterit , licebit illi*

*Fortunam moveat loco superbis.*

23 Et Claudianus (p) , etiam iterum , non minus eleganter admonuit , sic inquiens .

*Tu licet extremos latè dominere per Indos ,*

*Te Medus , te mollis Arabs , te Seres adorant;*

*Si metuis , si præva cupis , si duceris ira;*

*Servitii patiere jugum , tolerabis iniquas*

M

(m) Claud. suprad.

(n) Senec. in Thyest.

(o) Delrius in notis ad Senec. sup. 1. tom. pag. 383.

(p) Claudian. ubi sup.

Interius leges. Tunc omnia jure tenebis,  
Cum poteris Rex esse tui, Proclivior usus  
In pejora datur. Suetetque licentia luxum  
Illecebrisque effrena faret; tunc vivere caste  
Asperius, cum prompta Venus; tunc durius ire  
Consultur, cum pona patet sed compine motus  
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse licebit,  
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

24 Quibus adstipulatur illud Boëtii (q), sic Tyrannos, de quibus loquimur, admonens, qualiter debeant, & possint in veros Reges evadere, & curas, quibus, ut dicimus, semper premuntur, à suis pectoribus, Colossi nostri similibus, removere:

Qui se volet esse potentem,  
Animos donet ille feros,  
Nec vieta libidine colla  
Fædis submittat habentis.  
Etenim licet Indica tellus  
Longe tua jura tremiscat,  
Et serviat ultima Thule;  
Tamen atraspellere curas  
Miserasque fugare querelas  
Non posse, Potentia non est.

25 Et hoc qui non fecerit, sciat se veluti scopum ad universorum mortalium odium esse propositum, nec diu in Imperio stare posse, cum tandem, quas intrinsecus patitur furias, quicquid sibi plurimum caveat, extrinsecus sit passurus, illudque Juvenalis (r) certissimum ex perturus:

Ad generum Cereris sine cæde, vulnere pauci  
Descendant Reges, & sic ea morti Tyranni.

26 Quod elegantissimi verbis Plinius Junior (s) ostendit, adducens exemplum Domitiani, intra arcana cubilia, fædosque recessus, in quos timore, & superbia, & odio hominum agebatur, occisi, & Trajani, qui inter medios cives tutus, & hilaris versabatur, & sic inquiens: Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam ejus non credulitate, sed amoris excubitis, non solitudine, & claustris: sed civium celebritate defenditur. Et quid ergo discimus experimento, fidissimam esse custodium Principis ipsius innocentiam. Hec ars inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere, frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur.

27 Idque ipsum de Nerone præsagiit (& postea eventus edocuit) Seneca (t) Tragicus, sive quisquis ille est, qui Octaviae tragœdiām scripsit, hisce versiculis:

Licit extruat marmoribus, & auro tegat  
Superbus aulam: limen armata Ducas  
Seruent cohortes; mittat immensas opes  
Exhaustus orbis: supplices dextram petant  
Parthi cruentam; Regna diutinis ferant.  
Venit dies, tempusque, quo reddat suis  
Animam nocentem sceleribus, jugulum hostibus,  
Desertus, & destructus, & cunctis egens.

(q) Boët. lib. 3. Met. 5.

(r) Juvenal. Satyr. 10.

(s) Plinius Jun. in Panegy.

(t) Seneca in Octav.

## REGUM VIGILIA.



Servus Achæmonios ad publica munera Reges  
Suscitat, ut primus mulserit ora sopor.  
Quid juvat, o Princeps, pigræ indulgere quieti?  
Non regis ut cesses, ut patiare regis.

## COMMENTARIUS.



Uamvis de inesinient Regum cura in suo munere exercendo, satis superque acutum in superioribus videatur, adhuc tamen non abs re esse duxi, aliqua in præsentiarum subiecte, de eximia vigilia, seu vigilantia, quæ in ipsis desideratur, quò magis ad eam amplexendam expurgiscantur. Quam veteres Ægyptii, ut Plutarchus (a) refert, per oculum super Osiridis Sceptrum collocatum, significabant. Sic insinuantes, Reges, oculorum aciem super intentam, atque apertam habere debere, & Sceptro, quæ præviderunt, vel prospexerunt, regere, & gubernare; & cum sit, veluti humani quidam Dii, ut eos Plato in suis Politicis vocat, indesinenter curare, ut omnium somnos sua vigilia tueatur.

2 Eadem etiam ratione alii apud Pierium (b) Valerianum, Leonem eorumdem Regum symbolum, sive hieroglyphicum esse voluerunt, non tam quod hic ceteris animalibus dominetur, quād quod natura, veluti hoc munus præsentiens, eum oculis acutissimis dotaverit (unde & Græcis à videnti potentia nomen habuit) nec umquam omnino admittat soporem, sicuti Manethon tradit in libro, quem ad Herodotum scripsit. Quod tamen aliis per absurdum videtur, quibus Cælius Rhodiginus (c) assentit, ex Aristotelis doctrina probantibus, nullum esse animal, cui perpetua vigilia sit. Ceterum in eo omnes pariter convenient, quod leo somnum parcissimum sumit, & tunc (ut Dorcades) apertis oculis conquiescit, forte quia est ei oculus per magnus, & incumbens ipsi pellis, sive palpebra, longè minor, quam ut oculum totum valeat obtegere. Quod pariter in Regibus proprium esse debet, ut etiam cum dormiunt, vigilare constentur.

3 Huic rationi aliam addit Pierius (d), nimilùm, inter reliqua animalia leonem solum esse, qui apertis oculis nascatur, indeque aptissimè vigilantiam, quæ in Regibus requiritur, designare. Cujus etiam consideratione habita, olim, præ templorum foribus tamquam eorum custos constituebatur, ut Orus (e) Apollo his verbis ostendit: Vigilantem, & sedulum bonitatem, & custodem, cum Ægyptii volunt ostendere, leonis caput pingunt, quoniam leo vigilans oculos claudit;

(a) Plut. in lib. de Irid. & Osirid.

(b) Pier. in Hierogl. lib. 1. pag. 2.

(c) Rhod. lib. 13. cap. 18.